



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -  
Cum Indicibus

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1674**

Cap. XII. Ad cap. Solitae. VI. de Major. & Obed.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10241**

maciter nihilominus cerviculam jactitent, utrâque spoliantur c. 3. supra de Translat. Epif. c. 23. de Elect. Can. 31. & 32. caus. 7. q. 1. Sed videamus de exitu: Conradus cum propter excommunicationem ab omnibus vitaretur, coram Magdeburgensi Archiepiscopo ac multis Principibus, deinde coram Moguntinensi Archiepiscopo, & aliquibus Principibus jurejurando promisit se mandatis Apostolicis obediturum. Inde accessit ad sedem Pontifici. Apostolicam beneficium absolutionis implorans, misit munera quaedam Papæ, vasa argentea magni pretii atque artificii. Cui Papa per honorabilem nuncium remisit cupam auream, majori pretio, quàm Conradi fuerant, ne corruptus esse videretur, Canonicamque ordinationem Herbipolensis Ecclesiæ distulit, donec ipsa hæc Ecclesia Conradum denuo postularret, quo facto Episcopatum recepit. Ita narrant gesta Innocentii.

*Fit supplex Pontifici.*

*Denuò postulatur ab Herbipolensibus.*

## C A P. XII.

### Ad cap. Solitæ. VI. de Major. & Obed.

#### S U M M A R I A.

1. Innocentius increpat Balduinum Imp. CPolitanum.
2. Comparatio Pontificis cum Sole, Imperatoris cum Luna.
3. Explicatur.
4. Barclajus & Petrus de Marca laudantur.

*Innocentius increpat Balduinum Imp. CPolit.*

**S**cribit Pontifex ad Balduinum Imperatorem CPolitanum. Habetur integra hæc epistola in gestis Innocentii III. p. 46. & in compilatione III. Eâ corripit Imperatorem, quod Patriarcham CPolitanum, magnum & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum sedere in sinistra parte siverit, cum alii Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis reverenter assurgant, eisque juxta se venerabilem sedem assignent. Alterum quod notabile in hoc capitulo est, quod Innocentius Pontificem Soli, Imperatorem Lunæ comparans tantam ait inter Pontifices & Reges differentiam cognosci, quan-

*Comparatio Pontificis*

ta.

ta est inter Solem & Lunam. Quæ similitudo hæcenus procedit, quemadmodum Luna non minus Luna est, nec minus per se consistit, tunc cum à sole recedit, & mutuatum ab eo lumen variabile amittit, quàm cum ejus radiis pleno orbe atque adspectu illustratur, & neutro casu hæc ab illo aut ille ab hac dependet: Sed ambo institutionis suæ ordinem & modum tenentes Deo mundoque deserviunt: Sic etiam potestas regalis sive politica propriis subnixis viribus per se consistit, & licet magnum quidem lumen ad benè beateque vivendum à spirituali potestate accipiat, tamen ejus neque accessu neque recessu ullâ ex parte in sua essentiâ mutatur, minuitur vel augetur, multoque minus adveniēti subjicitur. Nec ad rem facit, si luna respectu luminis, quod à Sole recipit, ei subjici dicatur: Subjicitur enim ei, non quatenus luna est, sed quatenus lucida est. Est Sol igitur Dux & moderator luminum reliquorum, non quatenus sunt corpora, sed quatenus lucent, neque sol iis aliud quàm ipsum lumen auferre potest: Sic spiritualis auctoritas Dux est civilis potestatis, quantum ad spiritualem vim, ut rectè disputat Barclajus vindic. cap. 13. Ferè in hunc sensum etiam P. de Marcâ de conc. Sac. & Imp. lib. 2. c. 1. n. 8.

*cum Sole,  
Imperatoris  
cum lunâ.*

*Explicatur.*

*Barclajus  
P. de Marcâ  
laudantur.*

## C A P. XIII.

## Ad caput VIII. x. de major. &amp; obed.

## S U M M A R I A.

1. *Decretalis ad quem directa.*
2. *Quâ de re.*
3. *Cyprus ad Patriarcham Antiochenum pertinuit.*
4. *Libertatem usurpatam Justinianus confirmavit.*

**I**nnoctius rescribit CPolitano Patriarchæ, Thomæ Mauroceno, qui captâ CPoli primus è Latinis electus est Patriarcha CPolitanus, ut dixi *Eclogâ 3. c. 5.* Hic duo postulaverat ab Innocentio, alterum, ut Ecclesiæ quædam ipsi subjicerentur, quæ quidem ante captam urbem Patriarchatui huic non paruerant: Alterum, ut obedientia ei præstaretur ab Archiepiscopo & Episcopis

*Decretalis,  
ad quem  
directa.*

*Quâ de re.*